

hostium copias? Quid continentia C. Fabricii, quid tenuitas victus M. Curii sequebatur? Quid duo propugnacula belli Punici, Cn. et P. Scipiones, qui Carthaginensium adventum corporibus suis intercludendum putaverunt? Quid Africanus major? quid minor? quid inter horum aetates interjectus Cato? quid innumerabiles alii? (nam domesticis exemplis abundamus); cogitasse putamus, quidquam in vita sibi expetendum, nisi quod laudabile esse, et praeclarum videretur?

Cap. III. Veniant igitur isti irrisores hujus orationis ac sententiae: et jam vel ipsi judicent, utrum se horum alicujus, qui marmoreis tectis, ebore et auro et argento fulgentibus, qui signis, qui tabulis, qui caelato auro et argento, qui Corinthiis operibus abundant, an C. Fabricii, qui nihil eorum habuit, nihil habere voluit, similes esse malint? Atque haec quidem, quae modo huc, modo illuc transferuntur, facile adduci solent, ut in rebus bonis esse negent: illud tamen arcte tenent, accurateque defendunt, voluptatem esse summum bonum. Quae quidem mihi vox pecudum videtur esse, non hominum. Tu, quum tibi sive deus, sive mater (ut ita dicam) rerum omnium, natura, dederit animum, quo nihil est praestantius, neque divinius, sic te ipse abjicies atque prosternes, ut nihil inter te, atque inter quadrupedem aliquem putes interesse? Quidquamne bonum est, quod non eum, qui id possidet, meliorem faciat? Ut enim quisque est maxime boni particeps, ita est laudabilis maxime: neque est ullum bonum, de quo non is, qui id habeat, honeste possit gloriari. Quid autem est horum in voluptate? Melioremne efficit, aut laudabiliorem virum? an quisquam in potiundis voluptatibus gloriando sese et praedicatione effert? Atqui si voluptas, quae plurimorum patrociniis defenditur, in rebus bonis habenda non est; eaque, quo est major, eo magis mentem e sua sede et statu dimovet: profecto nihil est aliud bene et beate vivere, nisi honeste et recte vivere.